

LVCAS TANGEL IVRECONSVLTVS.



**L**Vcas ex honesta familia natus, & omni gene-  
re uirtutum educatus fuit. Is cum ingenio plu-  
rimū ualeret, post prima artium rudimenta per-  
cepta se se hinc inde ad Academias contulit, & in  
bonis literis optimè profecit. Inde animum ad Iu-  
ris studium conuertit, & suis uigilijs effecit, ut Le-  
gum Doctor crearetur. Accedebat & uitæ puri-  
tas, & singularis eloquentia. Itaq; Guilhelmus &  
Fridericus iuniores Saxonie duces eum inter con-  
siliarios receperunt, & res magnas suo nomine ex-  
pedire iusserunt. Cum etiam anno millesimo quin-  
gentesimo sexagesimo secūdo Imperij principes  
Franckoforti cōuenissent, ut Maximilianum Fer-  
dinandi Imperatoris filium Cæsarem designarent, is Lucas principum suo-  
rum legatus interfuit, & ob multas corporis & animi uirtutes omnibus  
bonis innotuit. Anon.